



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.  
Thomam De Beatitudine. De Actibus Hvmanis. De  
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.  
Prælectiones Theologicae Posthvmæ**

**Lessius, Leonardus**

**Lovanii, 1645**

Dvb. 1. Vtrùm vnio Incarnationis facta fuerit per aliquam conzersonem  
alterius naturæ in alteram.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)



DVBIVM I.

*Vtrum unio incarnationis facta fuerit per aliquam conuersionem alterius nature in alteram?*

**N**Otandum, De hac re fuisse duos errores. Prior fuit Eutychetis Monachi Constantinop. circa annum Domini 450. qui vt refelleret Nestorium ponentem in Christo duas personas propter duas naturas; docuit Christum quidem esse ex duabus naturis, non tamen subsistere in duabus. Nam per ipsam assumptionem, ex duabus factam esse conuersionem diuinitatis in carnem; quia dicitur Ioan. 1. vers. 14. *Verbum caro factum est*, quasi in carnem spissatum. Vnde vltimè inferebat diuinitatem Christi esse natam; passam, mortuam; & Christi carnem esse alterius rationis, quam nostra sit. Patet hoc ex epistolâ Leonis 97. cap. 1. vbi manifestè dicit Eutychetem negasse veritatem carnis humanæ; & Dominum nostrum esse vnus naturæ, tamquam Verbi deitas ipsa se in carnem animamque couerterit, & concipi, nasci, crescere, crucifigi, mori voluerit. Idem multi antea docuerunt, vt patet ex Ambrosio lib. de Dominicâ Incarnat. Sacramento cap. 6. qui contra disputat; & nominatim Apollinaris teste Augustino hæresis 55. qui dicebat aliquid diuinitatis in carnem conuersum.

Secundus error est: Ex Verbo & carne factam vnâ naturam, per conuersionem carnis in diuinitatem; idque vel in principio Incarnationis, vel in Resurrectione. Refert Tertull. lib. de carne Christi. Theodoretus dialogo, *Inconfusus*. Et in Synodo Nicæna 2. actione 6. tom. 5. eiusdem Synodi. Tribuitur hic error Eusebio Cæsariensi. Eundem tenuit Gaspar Swencfeldius, vt refert Staphylus lib. de concordia Lutherano. Et videntur modo tenere omnes *Vbiq̃sæ* qui dicunt Christi carnem esse vbiq̃e.

Contra hos errores Dico Primò: Post Incarnationem permanit in Christo integra natura diuina, & integra natura humana. Est de fide.

Probatur ex Scripturis; Quia post Incarnationem Christus erat verus Deus. Ioan. 5. vers. 18. *Æqualem se, faciebat Deo*. Ioan. 8. v. 58. *Antequam Abraham sciret, ego sum*. Ioan. 10. v. 30. *Ego & Pater vnus sumus* &c. Idem erat verus homo. Ioan. 8. v. 40. *Quæritis me interficere, hominem qui veritatem dixi vobis*. Et passim vocatur *Filius hominis*, id est, homo; tribuunturque ei proprietates veri hominis; vt nasci, mori, cõfuri, sitire, fatigari, tristiari, & similia: quæ si tantummodò in speciem facta sunt, tota Scriptura vel falsa est, vel incerta.

Probatur Secundò, Ioan. 3. vers. 13. Christus dicit: *Nemo ascendit in Cælum, nisi qui descendit de Cælo, filius hominis, qui est in Cælo*. Is qui loquitur, erat in domo Nicodemii; & filius hominis; & tamen dicit se esse in Cælo; atqui non secundum humanam naturam erat in cælo, nec descenderat è cælo; sed secundum diuinam. Nec secundum diuinam erat filius hominis, sed secundum humanam: ergo erat in illo vtraque natura.

Probatur Tertio, Ioan. 20. vers. 27. Cùm Dominus dixisset Thomæ: *Mitte manum tuam in latus meum* &c. Et Thomas illum vidisset, & tenuisset, exclamauit: vers. 28. *Dominus meus*, &

*Deus meus*: ergo erat in illo diuina natura quam confitebatur, & humana quam videbat & tangebat.

Quartò, Actorum 2. vers. 33. ait Petrus: *Dextera Dei exaltatus effudit donum hoc quod vos videtis & auditis*. Vbi, *Exaltari*, est nature humanæ; *Effundere Spiritum sanctum*, est nature diuinæ.

Quintò, Actor. 20. vers. 28. ait Paulus: *In quo posuit vos Spiritus sanctus regere Ecclesiã Dei, quam acquisiuit sanguine suo*: ergo ille Deus qui sanguinem fudit, habet duplicem naturam; diuinam à qua Deus, & humanam à qua sanguinem fudit.

Sextò, Ad Roman. 9. vers. 5. *Ex quibus (scilicet Patribus) est Christus secundum carnem, qui est Deus super omnia benedictus in secula*.

Septimò, Ad Philip. 2. vers. 6. *Qui cum in forma Dei esset, semetipsum exinaniuit formam serui accipientis*. Vbi Apostolus in Christo ponit duas formas: ergo sunt duæ naturæ.

Dico Secundò, hæc vnio nature diuinæ & humanæ, non fuit facta per conuersionem diuinitatis in carnem; aut carnis in diuinitatem. Est fide tenendum. Prior pars est contra Eutychetem & Apollinarem. Patet primò, ex Symbolo Athanasij recepto à totâ Ecclesiâ; *Non conuersione diuinitatis in Carnem, sed assumptione humanitatis in Deum*. Secundò, Quia diuinitas est immutabilis: ergo non potuit in carnem conuerti. Antecedens patet Malachiæ 3. vers. 6. *Ego Dominus & non mutor*. Iacob. 1. vers. 17. *Apud quem non est transmutatio*. Et prioris ad Timoth. 1. vers. 17. *Regi seculorum, immortalis, inuisibilis &c.* Et ibid. cap. 6. vers. 16. *Qui solus habet immortalitatem*.

Vbi aduerte, quidquid Deo in Scripturis tribuitur, intelligendum esse secundum supremam excellentiam; vt docet Dionys. cap. 1. de diuinis Nominibus, & cap. 3. Mysticæ Theologiæ. Quare huiusmodi locis significatur Deum excellentissimè, & secundum omnem penitus modum esse immutabilem.

Altera pars Prob. Primò; Nam conuersio carnis in diuinitatem, non potest fieri sine ipsius diuinitatis mutatione; siue conuersio fiat per transmutationem, quomodo alimentum conuertitur in corpus animantis, & elementa in corpus mixtum; quod concedit etiam Caietanus: siue fiat per modum transsubstantiationis, quamuis id neget Caietanus, existimans terminum transsubstantiationis, non debere mutari. Sed

Probatur contra Caietanum: Nam id in quod aliud conuertitur, necesse est vt sit terminus intrinsecus illius mutationis; ac proinde necesse est, vt requirat aliquam nouam dependentiam sui esse, vel aliquem nouum essendi modum; vt patet in mysterio Eucharistiæ; vbi corpus Christi, & nouam dependentiam, & nouum essendi modum acquirit. Et ratio est, quia alioqui nullus esset terminus *Ad quem* intrinsecus illius transmutationis, vt in Tract. de Eucharistia ostendetur.

Probatur Secundò, Quia si caro conuertetur in diuinitatem, humana natura non remaneret in Christo, sed diuina dumtaxat: quidquid enim conuertitur in aliud, siue per transmutationem, siue per transsubstantiationem, desinit esse; vt patet in alimento, quod conuertitur in corpus animantis; & in pane, qui in corpus Christi: & ita Christus iam non esset homo: quod etsi fateatur Swencfeldius maxime post Ascensionem; tamen

Error Eutychetis.

Apollinaris.

Error Eusebii.

In Christo est integra natura diuina & humana.

Refellitur Eutycheus.

Refellitur Vbiq̃sæ.

Refellitur Caietanus.

Humana natura semper mansit integra in Christo.



tamen est manifestè contra Scripturam. Act. 7. Stephanus vidit Filium hominis stantem &c. & cap. 17. Statuit diem in quo indicabit orbem in Viro, id est, Christo homine.

Eadem veritas probari potest ex multis Concilijs, quæ docent in Christo mansisse integrè & impermixtè duas naturas; & propter unionem, numquam illarum distinctionem esse sublatam. Concilium Chalcedonenſe expreſſè congregatū est contra hanc hæresin: Cū in eo Actione 1. recitaretur confessio Eutychetis, & Dioscori duas naturas ante Incarnationem, vnam tantum posse fuisse; omnes succelamarunt vna voce, *Anathema qui ita sentiunt.* Actione 5. in definitione fidei sic dicunt: *Conſitemur in nouissimis diebus, filium Dei vnicū, in duabus naturis inconfuse, incommutabiliter, indiuise, inseparabiliter cognoscendum, nunquam sublata differentia naturarum propter unionem.* Idem postea in multis alijs definitum. Estque hoc ipsum, vnum ex illis; quæ interrogatur Episcopus consecrandus: *Credis filium Dei Christum ex duabus naturis & in duabus naturis?* vt patet ex Carthaginensi 14. cap. 1. Vide Theodoretum in dialogo *Impatibilis*, vbi plurima testimonia Patrum colligit. Sed

Obijciunt Primò, Ioannis 1. dicitur: *Verbum caro factum est.* Qui modus loquendi significat transmutationem, vel conuersionem in carnem: vt patet ex simili Ioan. 2. *Aqua vinum factum est.*

Respondeo, Locutiones sunt accommodandæ rebus; vnde non semper hæc locutio significat conuersionem: vt enim persona existens dicatur aliquid fieri, non est necesse ipsam à suâ naturâ desciscere, & in aliud mutari; sed sufficit vt aliquid sibi acquirat nouo modo. Sic *Verbum* dicitur *factum caro*, quia illâ assumpsit, & sibi atrinxit in unionem hypostasis: sicuti Christus dicitur *factus Pontifex*, ad Hebr. 7. *Et factus pro nobis maledictus*, ad Gal. 3. *Accepisse formam serui*, ad Philip. 2. *Apprehendisse semen Abrahæ*, ad Hebr. 2. Ita respondet Theodoretus dialogo *Inmutabilis*, & alij Patres.

Obijciunt Secundò, In Concilio Chalcedon. Actione 1. recitata epistolâ Cyrilli Alexandrini ad Ioannem Antiochenum, Eulalius Episcopus Boritenſis dixit Cyrillum scripsisse non esse in Christo duas naturas intelligendas; sed vnam incarnatam.

Respondeo, Illa verba non reperiuntur in Cyrillo; & quidam Patres in Concilio affirmabant esse Eutychetis. Dicit tamen potest ea quæ in epistolâ istâ habentur, exponenda esse in eo sensu, quo valent contra Nestorium, quo scripta sunt: scilicet non esse duas naturas per se subsistentes, sed substantialiter vnitas, vt ibidem dicitur. Aliæ locutiones, quæ in eadem Epistolâ habentur, difficultatem non habent: vt quod natura verbi dicitur *Incarnata*, sensus enim est, carni vnita. Quomodo & caro à Patribus dicitur *Deificata*; id est, diuinitati vnita.

DVBIVM II.

*Virum ex carne humanâ & naturâ diuinâ, potuerit fieri vna natura integra per compositionem?*

Notandum est, quosdam hereticos ita sensisse, quasi diuina natura suppleret locum

animæ rationalis. Refert hoc Epiph. hæresi 69. de Arianis, & August. hæresi 55. de Apollinari.

Respondeo; Fieri nequit, vt ex vnione Verbi & carnis, constituta fuerit vna natura per modum compositionis. Probatum; quia ostensum est, in Christo esse completam hominis & Dei naturam: atqui ex duabus naturis perfectis, non potest fieri vna; alioqui omnes possent in vnam conſlari, quod maxime locum habet in naturâ diuinâ, quæ omnibus modis est completa. Secundo, Si conſlaretur ex carne & Verbo vna natura, hoc ideo fieret, quod Verbum suppleret locum animæ rationalis, vt volebant Ariani & Apollinaris: atqui Verbum non potest esse forma corporis; aut edere functiones illas vitales, quas anima rationalis edit: ergo &c. Tertio, Quia natura resultans ex hac vnione, esset communicabilis pluribus, ac proinde possent esse plures Christi, vt colligit Damasc. lib. 3. cap. 3. de fide orthodoxa. Antecedens patet; tum quia id in omni aliâ naturâ ex materiâ & formâ conſlatâ videmus; tum quia si natura diuina potest tamquam forma communicari carni & materiæ corporali; multo magis poterit pluribus indiuiduis.

Dices Athanas. in Symbolo ait: *Sicut anima rationalis & caro, vnus est homo: ita Deus & homo vnus est Christus:* atqui ibi est vnum per compositionem: ergo & hæc.

Respondeo; Hanc similitudinem non esse spectandam quoad omnia: Nam anima & corpus sunt partes essentielles incompletæ, habentes partiales subsistentias. Diuina autem & humana natura sunt completæ, habentes existentias perfectas & totales: & natura diuina habet etiam completam subsistentiam, humana autem in Christo nullam nec totalem nec partialem. Valet autem in eo, quod vtraque vnio sit substantialis; & per vtramque fiat, vt duæ naturæ existant in vnâ personâ: sicut enim ex vnione animæ & corporis consequitur, vt duæ naturæ existant in vnâ personâ; ita ex vnione humanæ naturæ cum diuinâ fit, vt illæ duæ naturæ existant in vnâ personâ Verbi. Denique Sicut corpus vnitur animæ, vt fit eius organum coniunctum; ita humanitas Verbo. Vide D. Thom. l. 4. contra Gentes cap. 41. Et Caietan. tom. 3. Opusculor. tract. 1. oratione. 2.

ARTICVLVS II.

*Virum vnio Verbi Incarnati facta sit in personâ?*

Respondetur: Vnio Incarnationis est facta in personâ Verbi, ipso præbente suam subsistentiam naturæ humanæ. Sensus est, natura diuina & humana per incarnationem sunt vnite in Verbi personâ præbente vtrique subsistentiâ. Vbi Notandum est, tripliciter aliqua posse vniri. Primò; essentialiter, cum ex vnitis resultat vna essentia; sic vnuntur forma & materia, genus & differentia. Secundò; Accidentaliter, vt accidens cum subiecto. Tertio; Hypostaticè, vt natura cum suo supposito; vel cum ratione hypostaticâ, quæ suppositum constituit: hæc vocatur vnio in personâ, seu in supposito; vel melius vnio hypostatica. Vnio partium integralium non est ad propositum.

D V B.

Concil.  
Chalced.  
contra Eutychet.

Quid sit  
Verbum  
carnem  
fieri.

Verbum nõ  
est forma  
corporis.

Explicatur  
quomodo  
Deus &  
homo, sit  
vnus  
Christus;  
etas & totales:  
& natura diuina  
habet etiam  
completam  
subsistentiam  
& humana  
autem in  
Christo  
nullam nec  
totalem nec  
partialem.  
Valet autem  
in eo, quod  
vtraque vnio  
sit substantialis;  
& per  
vtramque  
fiat, vt  
duæ naturæ  
existant in  
vnâ personâ  
Verbi.